

INTRODUCTIO

IN

HISTORIAM UNIVERSALEM.

INTRODUCTIO

IN

HISTORIAM UNIVERSALEM,

PRAECIPUE

ANTIQUARUM GENTIUM,

SCHOLIS ACADEMICIS ACCOMMODATA.



SCRIPSIT

S. KARSTEN,

PHIL. THEOR. ET LITT. H. DOCT. ET PROF. IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA.

TRAJECTI AD RHENUM,

SUMTIBUS KEMINK ET FIL.

1849.

PRAEFATIO.

Πᾶσα ἐπιστήμη προπαιδείας δεῖται. Hoc ut de reliquis disciplinis, ita valet etiam de historia. Quicumque eam non, ut ajunt, a limine salutare, sed plenius interiusque noscere cupiat, hunc oportet ejus argumentum, rationem, amplitudinem, tum fontes, subsidia et varias tractandi vias animo praeceptas habere. Talem igitur προπαιδείαν quum in antiquarum gentium historia enarranda scholis meis praemittere solerem, eam nunc summatim descriptam usitato Introductionis *titulo edidi. Feci hoc, non quia desint plane libri historici, in quibus hoc argumentum vel in aditu narrationis vel seorsim tractetur, sed partim quia hi libri non communi omnium usu triti, partim quia argumenti tractatio ad scholarum mearum rationem minus erat accommodata. Forsitan haec Introductio paullo latior videatur quam* Compendio *consentaneum sit; quod propterea feci, quia horae*

historicis lectionibus destinatae non sinunt omnia semper singulatim persequi. Difficillimum autem est in tali materie nimium et parum aeque evitare, cum in aliis, tum etiam in fontibus indicandis; neque me hac in parte omnibus satisfacturum facile provideo. Tantum animadverto, scriptionem hanc eo compositam esse consilio, ut adjumento sit lectionibus Academicis; quod autem ad fontes attinet, me in praecipuis quidem partibus fuisse diligentiorem, in reliquis id potissimum spectasse, ut, insignioribus scriptis indicandis, viam monstrarem stimulosque adderem ad longius progrediendum et altius indagandam.

Ceterum Introductionem hanc an ipsius historiae antiquae conspectus sit subsecuturus, a rerum et temporum statu pendebit. Interim ut Academicae juventuti hoc commentariolum acceptum et utile sit futurum, optamus.

ARGUMENTUM.

INTRODUCTIO

IN

HISTORIAM UNIVERSALEM

PRAECIPUE

ANTIQUARUM GENTIUM.

I. HISTORIAE MATERIES, RATIO, FINIS.

1. Historia est actarum rerum memoria monumentis prodita, qua generis humani, populorum ac civitatium vitae ratio, mores et studia declarantur. Res quas historia tractat sunt universe duplicis generis, partim hominum facta, populorum res domi et foris gestae, instituta, artes; partim rerum fata et eventa sive prospera sive adversa, quae ad illorum conditionem alicujus momenti fuerunt.

Posterioris generis sunt, exempli gratia, eluviones, eversiones, incendia, morbi aliique casus, quatenus aliquam vim habuerunt in gentium conditionem.

2. Utriusque rerum generis infinita est copia, earumque moles in dies crescit; ex his autem histo-

ria notat res praecipue memorabiles, hoc est, eas in quibus clariora apparent humani ingenii, rationis, virtutis indicia; quae valuerunt ad artes et instituta excolenda vel depravanda, ad vitae cultum et prosperitatem, ad statum civilem et publicum provehendum vel labefactandum; denique quae ad rerum publicarum inclinationes conversionesque fuerunt efficaces.

Vulgaris vitae actiones, artes, studia, quae necessitati, commodo, luxui inserviunt, eatenus tantum sunt memorabilia, quatenus ad majora conducant, vel quatenus propriam populi alicujus aut seculi effigiem repraesentent.

Hinc etian barbaris populis in historia aut nullus aut exiguus tantum locus est, quippe quorum vita magis natura et consuetudine quam consilio et arte regitur, actionesque magis explendis appetitibus, voluptatibus, necessitatibus, quam altioribus studiis inserviunt. Singularia quidem horum facta, non vero actarum rerum series memoratur. Tales sunt ex. gr. Scythae, Cimmerii, Hunni, alii, quibus potius in Ethnographia locus est. (cf. § 36.)

3. Historica expositio debet esse ipsarum rerum rationi consentanea. Quum res humanae loco et tempori sint adstrictae, necesse est ratio habeatur regionum et seculorum quibus quisque populus vixerit, et locorum ac temporum ubi et quando res actae sint. Quumque res et actiones continuo ordine cohaereant, aliae ex aliis nascantur, postulatur ut naturalis earum series et causarum eventorumque consequentia dilucide exponantur, cum animadversione variarum opportunitatum, et cum notatione hominum qui rebus gestis vel meritis insignes fuerunt.

Appellatio *historia* (*ἱστορία*) a generali *sciscitandi*, *indagandi* significatu ad propriam rerum humanarum et gentium indagationem est translata [1]). Vocabulum *Geschiedenis*, *Geschichte*, proprie historiae materiem, res actas, significat; deinde actarum rerum expositionem. — Variae historiae definitiones.

4. Finis quo historia spectat is est, ut et praeteritorum memoria servetur, et horum cognitione illustrentur praesentia, et priorum exemplis ac monitis sapere discant posteri.

Herodotus *Hist.* init. Ἡροδότου Ἁλικαρνασσῆος ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε, ὡς μήτε τὰ γενόμενα ἐξ ἀνθρώπων τῷ χρόνῳ ἐξίτηλα γένηται, μήτε ἔργα μεγάλα τε καὶ θωυμαστὰ, τὰ μὲν Ἕλλησι, τὰ δὲ βαρβάροισι ἀποδεχθέντα, ἀκλεᾶ γένηται, τά τε ἄλλα καὶ δι' ἣν αἰτίην ἐπολέμησαν ἀλλήλοισι. Thucyd. I, 22, historiam esse jubet κτῆμα ἐς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν. cf. Lucian. *de conscr. hist.* c. 42, et ibid. c. 10: ἓν γὰρ ἔργον ἱστορίας καὶ τέλος, τὸ χρήσιμον, ὅπερ ἐκ τοῦ ἀληθοῦς μόνου συνάγεται.

II. HISTORIAE FRUCTUS ET UTILITAS.

5. Non facile ulla est doctrina quae vel ad liberalem animi delectationem et ingenii cultum vel ad sapientiam et vitae usum fructuosior omnium consensu habeatur quam historia. De praestantia ejus nobilitatum est elogium Ciceronis *de Orat.* II, c. 9: „Historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis.”.

---

[1]) Wyttenb. ad *Platon. Phaed.* p. 253. Creuzer, *die Hist. Kunst der Griech.* p. 174. sq.

Jure dicta est *vita memoriae*; sine hac enim effluereret praeteritorum temporum memoria, cujus expertes, ut populi quidem feri, brutorum instar degerent, praesentia tantum cernentes. Quod singulis hominibus est memoria, id historia est gentibus.

Porro *lux veritatis*, idque non unam ob rationem: nam et iniqua aequalium judicia, errores, calumnias castigat et corrigit, et praeteritorum cognitione quasi lumen praefert menti, ne inanibus commentis et perversis rationibus decepta in fraudem inducatur.

Quantum lucis historia afferat philosophiae indagationi, exemplo sunt Aristotelis scripta Politica et Montesquivii opus *de l'Esprit des Lois.*

6. Nec minore jure dicta est *magistra vitae*, ad prudentiam aeque atque ad virtutem efficax. Nam et praesens temporum status pendet a praeterito, ut hic sine illo cognosci et recte judicari nequeat; et praeteritum tempus plenum est praeceptis et monitis praesenti tempori commodis, plenum item exemplis quae ad honesta impellunt et quid sequendum vitandumve sit docent: quare historia ab antiquis etiam appellata est φιλοσοφία ἐκ παραδειγμάτων. Dionys. Hal. *Art. Rhet.* c. 12.

Legatur Polybii prooemium *Historiarum.* Hanc historiae virtutem maxime celebrant veteres. Livius, *prooem.* „Hoc „illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, „omnis te exempli documenta in illustri posita momumento „intueri, inde tibi tuaeque reipublicae quod imitere capias, inde „foedum inceptu, foedum exitu, quod vites." Cf. Sallustius, *Jugurth.* c. 4.

Quantum hac in re historia praestet poësi, indicat Plutarchus *Pericl.* c. 2: *τὸ γὰρ καλὸν ἐφ᾽ αὑτὸ πρακτικῶς κινεῖ καὶ πρακτικὴν εὐθὺς ὁρμὴν ἐντίθησιν, ἠθοποιοῦν οὐ τῇ μιμήσει τὸν θεατήν, ἀλλὰ τῇ ἱστορίᾳ τοῦ ἔργου τὴν προαίρεσιν παρεχόμενον.* cf. Basil. Imp. *Exhort.* c. 56.

Is. Casaubonus, *Praef. ad. Polyb.* „Loqui, non vivere ple„rique omnes hodie discimus, — et historiam, quae practica „quaedam philosophia est, non ut utamur discimus, sed ut „sciamus: plane iis non dissimiles qui aurum argentum et re„gias gazas parare norunt, artem utendi fruendi partis neque „sciunt neque vel saltem de ea cogitant. — Desinamus igitur „mirari, quid caussae sit, cur hodie e lectione historiarum „nemo eum fructum ferat quem tulit olim Lucullus; in promptu „ratio est: nemo illam ut Lucullus legit."

Sunt quidem quae contra hanc historiae efficacitatem dici possunt, velut quae animadvertit Hegel, *Philos. der Gesch. Einl.* p. 9. Quibus tamen responderi potest Mureti dictis *Orat.* Vol. II. Or. 13. (T. I, p. 296 sq. Ed. Ruhnk.)

7. Sed ad altiorem etiam mentis contemplationem conducit historia. Nihil homine dignius quam hominem nosse [1]); ad hominem autem cognoscendum uberrrimam materiem praebet historia, quippe quae non tantum in illustrium virorum vitis specimina exhibet humanitatis, sed etiam in gentium et civitatum actis et fatis quasi effigiem humanae naturae et sortis, majoribus expressam lineamentis, conspiciendam praebet.

Eadem denique jure appellari potest speculum divinae Providentiae, cujus vim et gubernationem si

---

[1]) Pope: „The proper study of mankind is man."

non in singulis partibus perspicere ac demonstrare, in universo tamen rerum orbe haud obscuris indiciis agnoscere licet tam ex ordine et processu rerum humanarum, quam ex infinito eventorum numero quae saepe praeter omnem mortalium exspectationem ad destinatum finem tendunt.

Elucet haec ut e singulorum populorum historiis, ita maxime ex historia universali. Quod luculenter indicavit Schlözer *Einleit. in die A. G.* verbis his saepius laudatis: „Zwar brechen auch aus jeder noch so kleinen Spezialgeschichte „Schimmer von den wunderbaren Leitungen der Vorsehung „hervor; aber so wie die Betrachtung des Erdballes gegen die „Betrachtung des ganzen Weltalls verhält, — so verhält sich „die Ueberdenkung einzelner Reihen von Begebenheiten gegen „die Anschauung des Weltlaufes im Grossen . . . Diese wirft „den Geist tief zur Anbetung desjenigen Wesens nieder, das „unsichtbar die Schicksale der Menschen in langen kette hält; „das in dem einen Jahrtausende freie Geschöpfe, ihnen selbst „unbewust, wie Maschinen zu werkzeugen seiner Absichten in „dem andern vorbereitet; das am östlichen Ende der Erde „Handlungen hervorruft, durch die es zu seiner Zeit Strafge-„richte oder Wohlthun im Westen übet."

Celebrata quoque illa vox: „Die Weltgeschichte ist das Weltgericht."

8. Denique, quam multiplex sit historiae usus et quam necessarius ad quamlibet artem vel disciplinam tractandam, non opus est dictu. Sine hac nec jurisprudentia nec theologia recte tractari possunt; hinc et poësis et pictura et aliae artes alimentum et ornamentum ducunt.

Exemplo sint Historia ecclesiastica, Jurisprudentia historica, &c.

III. HISTORIAE PARTES.

9. Omnis rerum materies, quam historia tractat, pro naturali regionum, gentium, aetatum discrimine in diversas scinditur partes; unde pro latiore vel angustiore argumento oritur bipartita vel tripartita historiae divisio: np. in historiam *specialem*, quae populi alicujus vel civitatis res gestas earumve partem aliquam exponit (*ἱστορία ἐθνική, τοπική*); cui generi subjecta est etiam *biographia*. Et *generalem* s. *universalem* (*ἱστορία καθολική, τῆς οἰκουμένης*), cujus duplex est ratio. Namque vel singularum gentium, praecipuarum saltem, res certa ratione inter se copulatas exponit, idque vel per certum aetatum spatium vel per omnem seculorum seriem continuatas: talis est historia generalis antiquorum populorum, medii aevi, recentiorum temporum; vel universi generis humani vicissitudines in praecipuis gentium actis et rerum eventis conspicuam exponit.

Germanici scriptores quidam non inepte utramque historiae universalis formam discernunt, etsi vocabulis parum distinctis, alteram appellantes *Allgemeine Geschichte*, *Universalhistorie*, alteram *Weltgeschichte*. Vieth, *das Studium der A. G.* § 10.

10. Porro quum vita et ratio populorum admodum multiplex sit, comprehendens quippe res gestas, instituta, jura, religiones, artes, studia, quamquam haec omnia vinculo inter se continentur, tamen ex hac rerum varietate exstiterunt paullatim singulares historiae partes et formae, quarum nonnullae propriis nominibus sunt designatae, ut *Ethnographia*, quae

nationum originem et naturam indagat; *Archaeologia* et *Antiquitates*, quae vitae instituta, publica et privata, sacra et profana, eorumque monumenta describunt; *Statistica*, disciplina sero nata, quae de publico opum, virium, copiarum statu agit; porro Historiae litterarum, artium, juris, Historia commercii, coloniarum, aliae.

11. Historia etsi nullam earum partium quae ad populorum ingenium et vitam declarandam pertinent negligit, praecipue tamen attendit res publice in bello et pace, domi et foris gestas, harumque rationes et eventus, ducum et auctorum partes, effectas his rerum publicarum mutationes, earum incrementa et interitum, caussasque quae eo contulerunt, exponit. Haec est historia *politica* dicta, gravissima sane illa, non tantum ob rerum actarum magnitudinem et illustrium exemplorum praeceptorumque copiam, sed praesertim quia in rebus publice gestis elucet maxime cujusque gentis et seculi ingenium ac virtus, et quia a publico civitatis statu tam privata salus et prosperitas quam artium studiorumque cultus pendent.

H. Luden, *A. G. der Völker u. Staaten*, *Einl.* § 35 sq. „Der Staat is die Bedingung aller Bildung, — und je besser „die Gesellschaft im Staate geordnet ist, desto höher wird die „Bildung stehen: so ist die Geschichte der Staats-Entwickelung „die Grundlage aller Geschichte, und jede andere Geschichte „setzt die kenntniss der Geschichte der Völker und Staaten „voraus."

IV. DIVERSAE HISTORIAE FORMAE.

Diversa fuit tam pro cujusque seculi ingenio et cultu

quam pro scriptoris cujusque judicio et facultate historiae tractandae ratio.

Antiquissima historia, in Oriente nata, fuit simplex et religiosa, in mortalium casibus et magnarum rerum eventis praesentem divini numinis vim reverens. Tales sunt Annales Hebraeorum.

Apud Graecos historia initio fuit poëtica, veras res et actiones mirabilibus eventis ornans et placidum narrationis flumen tam artificiosa operis dispositione, quam lucida rerum descriptione et orationis dulcedine commendans. Herodoti Musae.

Tum facta est politica, in rerum publicarum motibus et bellis describendis, eorumque rationibus et auctoribus exponendis versata. Talis est historia Thucydidis, quem veteres habuerunt *κανόνα τῆ ἱστορικῆς πραγματείας καὶ τῆς περὶ τοὺς πολιτικοὺς λόγους δεινότητος ὅρον*. Dionys. Hal. *de Thucyd. charact.* princ.

Mox ethicum assumsit colorem, auctore Xenophonte, qui Socraticam morum animadversionem in historiam transtulit. Hi, florente Graecia, primas in historia obtinuerunt. Vid. Dionys. Halic. *Epist. ad Pompejum.*

13. Aliquanto serius, senescente jam Graeciae gloria, nata est historia pragmatica (*πραγματικὴ*), magistram vitae se professa, ad principes praesertim viros, duces et civitatium rectores formandos accommodata. Hujus auctor fuit Polybius, natione Graecus, animo paene Romanus.

Quod ad appellationem *ἱστορίας πραγματικῆς* attinet, eam usurpavit quidem Polybius, non tamen proprio hoc signifi-

catu, sed quam nos *pragmaticam* vocamus, ille potius ἐπιδεικτικὴν appellat. Schweigh. *Annot. ad Polyb.* T. V, p. 125, sqq. coll. p. 109. Ceterum rationem ejus dilucide exponit Lib. III, c. 31, ubi praeter alia haec dicit: οὐχ οὕτως ἐστὶ φροντιστέον τῆς αὐτῶν τῶν πράξεων ἐξηγήσεως, — ὡς τῶν πρότερον, καὶ τῶν ἅμα, καὶ τῶν ἐπιγιγνομένων τοῖς ἔργοις. Ἱστορίας γὰρ ἐὰν ἀφέλῃ τις τὸ διὰ τί, καὶ πῶς, καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερον εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δ᾽ οὐ γίγνεται, καὶ παραυτίκα μὲν τέρπει, πρὸς δὲ τὸ μέλλον οὐδὲν ὠφελεῖ τὸ παράπαν. cf. idem Lib. I, princ. Cicero, *de Orat.* II, 15, § 63. A. van Goudoever, *de hist. Polybii laud.* Traj. 1809.

Denique, crescente testium et monumentorum numero et eruditionis copia, historia facta est doctior, verbosior, nimis subinde oleum et palaestram redolens. Dionysius Halicarnassensis, Diodorus Siculus, Dio Cassius, alii.

Vid. Creuzer, *Die historische Kunst d. Griechen.* Leipz. 1803. Ulrici, *Characteristik der antiken Historiographie.* Berl. 1830.

14. Hae sunt praecipuae historiae species, quarum exempla monstrarunt Graeci, deinde Romani et recentiores eas sua quisque ratione tractarunt et excoluerunt. Maxime autem celebratum est genus pragmaticum, quod tamen interdum in nimium ratiocinandi et argumentandi aucupium abiit (*Histoire raisonnée.*) Illustria in hoc genere exempla sunt Robertsoni historiae.

Postremo historia magis facta est philosopha, hoc est, talis quae e comprehensione actorum, institutorum, artium, studiorum, efficiat gentis cujusque et seculi

indolem et cultum, atque in gentium vita ac moribus indolem humanae naturae et humanitatis progressionem animadvertit. (Voltaire, *Essai sur l'hist. gén. &c.* Pölitz, H. Luden, alii.) Inde exstiterunt etiam novae historiae formae, cujusmodi sunt *Geschiedenis der Menschheid* (Iselin, Muntinghe); *Cultur-Geschichte* (Eichhorn, Klemm); *Histoire de la Civilisation* (Guizot); denique ipsa *Philosophia historiae* inde nata est, de qua infra.

V. PRIMARIA HISTORIAE OFFICIA.

15. Ex varia hac historiae tractandae ratione facile est intellectu, certam ejus normam et legem praescribi non posse, quippe quae ab hominum et temporum ingenio, consilio, opportunitatibus pendeat. Sunt tamen quaedam omnis historiae, qualiscumque sit, fundamenta. Praeter ingenium, prudentiam, praesertim politicam, eloquentiam, bonitatem, quae historico cum oratore communia sunt, in historia imprimis postulantur:

Veritas et libertas. „Nam quis nescit, primam „esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat; „deinde ne quid veri non audeat? ne qua suspicio „gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis?" Cicero *de Orat.*. II, 15.

Lucian. *de conscrib. Hist.* 41: τοιοῦτος οὖν μοι ὁ συγγραφεὺς ἔστω, — ἐλεύθερος — ἀληθείας φίλος, ὡς ὁ κωμικός φησι, τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην δὲ σκάφην ὀνομάζων κτλ.

16. Porro judicii integritas, quae nullo voluntatis studio vel ingenii impetu abrepta res et homines suo

momento ponderet, vera a falsis, probabilia a certis recte discernat. Versatur haec partim in testimoniorum et auctoritatum fide ac pondere examinando, partim in narrationum probabilitate e temporum, rerum hominumque natura et ratione aestimanda.

Res plena difficultatibus. Plutarch. *Pericl.* c. 10: Πάντη χαλεπὸν καὶ δυσθήρατον ἱστορίᾳ τἀληθές, ὅταν οἱ μὲν ὕστερον γεγονότες τὸν χρόνον ἔχωσιν ἐπιπροσθοῦντα τῇ γνώσει τῶν πραγμάτων, ἡ δὲ τῶν πράξεων καὶ τῶν βίων ἡλικιῶτις ἱστορία τὰ μὲν φθόνοις καὶ δυσμενείαις, τὰ δὲ χαριζομένη καὶ κολακεύουσα λυμαίνηται καὶ διαστρέφῃ τὴν ἀλήθειαν.

15. Tum philosophiae facultas, posita illa praesertim in naturae humanae cognitione; in perspiciendis hominum ac populorum ingeniis, studiis, consiliis; in explorandis actorum eventorumque causis et opportunitatibus; in ponderandis rerum actionumque momentis, quatenus eae ad publicum statum mutandum efficaces fuerint.

Scribendi recte sapere est et principium et fons:
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae.
Horat. *Ars Poët.* vs. 309.

16. His facultatibus addat etiam historicus, ut Lucianus vult, aliquem poëticae succum et quasi spiritum, qui sicut ventus secundus vela flatu suo impleat, ut navigium levi cursu erectum per undas feratur. Dictio tamen humi incedat, neque efferat se ultra id quod ratio praescribit, ut facta dictis sint exaequanda. Lucian. *de conscr. hist.* c. 45.

In historiae artem quadrant haec Plinii verba H. N. *Prooem.*: „Res ardua vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis

„nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem,
„omnibus vero naturam et naturae suae omnia."

Vid. Dionysius Halic. *Epist. ad Cn. Pompej.* Idem *de Thucyd.*
Lucianus, *De conscr. historia.*
Is. Casaubonus, *Dedicat. Polyb. ad Henr.* IV.
Ger. Io. Vossius, *Ars Historica.*
Petr. Francius, *Orat. de Hist. utilitate.*
W. van Humboldt, *Ueber die Aufgabe des Geschichtsschreibers.*

VI. HISTORIAE MONUMENTA ET FONTES.

17. Quum rerum humanarum notitia testimoniis et monumentis constet, in horum cognitione et usu primum positum est historiae munus. Eorum praecipua genera haec sunt. Initio rerum anteactarum memoria prodita est *ore* sive *fama*; deinde *carminibus* celebrata, postea *monumentis* cum aliis, tum praesertim *litteraturae* consignata et ad posteros propagata est.

18. Narrationes fama proditae vocantur μῦθοι, (*fabulae*, *sagen*), qui a remotissima antiquitate ducti et pedetentim aucti, multis deinceps modis mutati et ornati sunt. Continent plurima indicia de populorum et generis humani primordiis, deque prisci aevi moribus et rebus gestis, quae tamen perdifficile est e fictionum involucris eruere vel a seriorum commentis dignoscere. Eorum cognitio *Mythologiae* pars est.

Multi viri eruditi in hoc elaborarunt, ut e priscis mythis, velut de generis humani aetatibus, de Prometheo, Pandora,

Hercule, aliis, vetustatis effigiem eruerent, ut Buttmann, *Mythologus*. Berl. 1828, alii. „Periculosae plenum opus aleae!"

19. Mythos illos susceperunt poëtae, qui illustria majorum heroumque acta et fata modis numerisque adstrinxerunt et poëtico colore ornarunt. Quo antiquiora sunt haec carmina, eo locupletiora sunt vetustatis testimonia. In his elucent Homeri *Ilias* et *Odyssea*, Ossiani carmina, *Nibelungi.*

Musae Μνημοσύνης filiae. Vere de semetipsis praedicant apud Hesiodum, Theog. vs. 27:

Ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα,
Ἴδμεν δ', εὖτ' ἐθέλωμεν, ἀληθέα μυθήσασθαι.

Ut primordia plerorumque populorum mythis vel carminibus continentur, ita nonnullorum maxima pro parte fabulosa est historia, ut Indorum, Assyriorum, aliorum, qui ante Cyrum floruerunt. cf. Perizonius, *Animadv. hist.* cap. V et VI. Niebuhr, *Vorträge über Röm. Gesch.* Einl.

20. Inter monumenta litterata primum locum tenent *Inscriptiones*, in tabulis, templis, obeliscis, sepulcris exaratae, quales multae ex antiquitate servatae extant, acta privata et publica, vota, pacta, foedera, decreta, leges, aliaque continentes. Mos etiam fuit apud veteres, ut rerum memorabilium tam ad civitatem quam ad privatos spectantium ἀναγραφαὶ in templis fixae aut in locis publicis conditae servarentur [1]; cujus generis *Annales Pontificum* apud Romanos fuerunt: ex his deinde scriptores hauserunt. Inscriptiones interpretandi ars *Epigraphice* vocatur.

[1]) Polyb. V, 33, memorantur χρονογραφίαι εἰς τοὺς τοίχους.

Quanti pretii sint Inscriptiones ad historiam, exemplo sunt *Marmora Arundeliana*, *Monumentum Ancyranum*. Aegyptiorum tota paene historia a monumentis et hieroglyphis pendet.

Inscriptiones Graecas et Latinas, ne reliquas memorem, post Muratorium, Gruterum, aliosque, nuper collegerunt et explicuerunt imprimis Aug. Boeckhius, *Corpus Inscriptt. Graec.* fol. Berol. 1828, sqq. J. C. Orellius, *Inscriptt. Latin. select. ampl. collectio.* Turici 1828. Porro Osannus, Rossius, alii.
Io. Franzius, *Elementa Epigraph. Gr.* Berl. 1840.

21. Inscriptionibus propinqui sunt *Numi (Numismata)*, imaginibus, figuris et litteris insigniti, quorum ingens multitudo diversorum populorum et aetatum, tum orientalium, ut Phoenicum, Persarum, Bactrorum, tum praesertim Graecorum et Romanorum, inde a VIto fere ante Chr. seculo, tum etiam recentiorum temporum nobis servata est. Ad principum successiones declarandas et obscuriora eventa vel tempora illustranda magna est numorum utilitas. Quorum collectiones cum alibi tum in plerisque Museis regiis, Viennae, Parisiis, Romae, ceterisque extant.

Quantum lucis numismata afferant historiae, luculento exemplo ostendit Vaillant, *Seleucidarum Imperium* &c. Hagae Com. 1732; et nuper Wilson, *Ariana antiqua.* Londini 1841.
De re numismatica veterum post Ez. Spanhemium *de praest. et usu numism.* Amst. 1671, egregie meriti sunt:
Jos. Eckhel, *Doctrina numorum vett.* Viennae, 1792.
Mionnet, *Déscription des médailles.* Paris, 1807.

22. Vt numi, sic etiam *arma* ad Medii aevi illustres familias, ordines, principes eorumque genus declarandum magno sunt adjumento. Horum cognitio,

Heraldica nominata, cum Genealogia arte est conjuncta.

Gatterer, *Handbuch der neuesten Genealogie u. Heraldik.* Nürnb. 1772. *Abriss der Genealogie.* Gött. 1788. *Abriss der Heraldik.* Götting. 1792.

23. Accedunt his alia artis monumenta, nullis insignita litteris, ut tumuli, sepulcra, castra, arae, templa, pyramides, tum supellex, instrumenta, gemmae, aliaque, quae per omnes tam antiqui quam novi orbis partes dispersa, obsoleta priscorum populorum vestigia indicant, aut imaginibus et signis vitam, facta et mores vetustatis repraesentant. Nobilitata sunt in hoc genere monumenta Aegyptiaca, Indica, Persica, Mexicana; porro Graecorum et Romanorum, gentium Germanicarum &c. Horum cognitio proprie *Archaeologia* vocatur, in qua apud Graecos et Romanos elaborarunt praeter alios Pausanias et Plinius (*Hist. Nat.* Lib. XXXIII sqq.). Recentiore tempore hoc studium maxime increvit a quo tempore Herculanum et Pompeji e cinere erui coepta sunt (a. 1711); deinde per itinera et expeditiones privatim vel publice in Graeciam et Orientem suscepta, in quibus maxime memorabilis est Francorum expeditio in Aegyptum, a. 1798.

E magna et varia monumentorum copia exempli gratia memorasse sufficiat: Denon, *Déscription de l'Egypte.* Porro: Langlès, *Monumens anciens et modernes de l'Hindostan.* Alex. von Humboldt, *Vues de Cordillères et Monumens des peuples indigènes de l'Amérique.*

D'Orville, *Sicula.* Amst. 1764. Piranesi et Guattani, *Antiquités de la Grande-Grèce.* Par. 1804. Roux, *Herculanum et Pompéi.* Paris, 1840. Stuart, *Antiq. of Athens.* Lond. 1762; opus etiam Germanice versum. Piranesi, *le Antichità Romane.* Rom. 1784. Plattner, Bunsen et Gerhard, *Beschr. der Stad Rom.* Stuttg. 1830.

C. L. Stieglitz, *Gesch. d. Baukunst vom frühesten Alterthume bis in die neuern Zeiten.* Nürnb. 1827. J. A. Romberg u. Fr. Stager, *Gesch. d. Baukunst bei d. Assyrern, Medern, Babyloniern, Persern, Phoenikern, Israëliten u. Inder.* Leipz. 1844.

K. O. Müller, *Handbuch der Archaeologie der Kunst*, 2te Ausg. Bresl. 1835. Idem, *Denkmäler der A. Kunst.* Gött. 1832.

24. Fidelissima vero memoriae custos et historiae fons uberrimus est litteratura. In litterarum monumentis primo loco censenda: *Chartae* sive *Diplomata* [1]) (*Oorkonden*), quibus acta et documenta tam privata quam publica, tam sacra quam profana, continentur. Magna horum monumentorum copia, inde a seculo Vto post Chr., in tabulariis omnium populorum et civitatum asservatur. Eorum indagatio et explicatio a monachis Benedictinis, praesertim *Congregationis S. Mauri*, strenue agitata, deinde magis magisque exculta, proprio *Diplomatices* nomine designatur; cujus disciplinae instrumentum est *Palaeographia.*

Diplomatum usus ad historiam et jurisprudentiam Medii aevi et proximorum seculorum illustrandam est longe maximus. Ex antiquitate hujusmodi monumenta non exstant, nisi quatenus vel Inscriptionibus vel historicornm et oratorum scriptis continentur, cujusmodi sunt ex. gr. foedera inter Romanos et

---

[1]) *Δίπλωμα* a *διπλοῦς*, idem quod *δελτίον δίπτυχον.*

Carthaginienses, relata apud Polybium; SCtum de Bacchanalibus in tabula Vindobon. expressum, et multa alia.

Inter Benedictinos monachos hanc doctrinam imprimis illustrarunt Maubillon, opere *De re Diplomatica* (Paris, 1704), et Montfaucon, opere *De Palaeographia Graeca* (Paris, 1708) multisque praeterea editis scriptis et monumentis clari.

Inter monumentorum Collectiones superioris seculi memorabiles sunt ex. gr. Du Mont, *Corps Univ. Diplom. du droit des gens depuis Charlemagne.* Amst. 1726 sqq. Martens, *Receuil des princip. traités etc. depuis* 1761. Gött. 1791 sqq. Inter nostrae aetatis monumenta e multis nominasse sufficiat: Pertz, *Monumenta Germaniae Historica; Collection de documents inédits sur l'histoire de France*, auctore praesertim illustr. viro Guizot suscepta; Groen v. Prinsterer, *Archives de la maison d'Orange-Nassau;* adde acta et commentarios plurimarum Societatum, quibus praesertim Germania et Gallia abundant.

Gatterer, *Abriss der Diplomatik.* Gött. 1798. Idem, *Praktische Diplomatik.* Gött. 1799. Silvestre, *Paléographie universelle.* Paris, 1839.

25. *Commentarii* et *narrationes* varii generis: annales, relationes, historiae, in quibus primum auctoritatus gradum tenent ea scripta, quorum auctores ipsi testes fuerunt rerum et temporum quae memoriae prodiderunt, quales fuerunt ex. gr. Thucydides, Xenophon, Ptolemaeus et Aristobulus (duces Alexandri M.), Julius Caesar, et multi omnium aetatum ac populorum scriptores. Sequuntur ii qui ex aliorum maxime libris et monumentis, suo adhibito judicio, annales vel historias composuerunt: ut Diodorus Siculus, Livius, Trogus Pompejus, Eusebius, et plurimi alii, quorum libri etiam vetustiorum monumentorum jacturam aliquatenus compensant.

De discrimine Annalium et Historiarum, de quo non convenit inter veteres, vid. Sempronius Asellio apud Gellium N. A. V, 18. Ab utroque genere diversa sunt: Ἐφημερίδες, *Commentarii*, *Mémoires*, quibus ut olim Graeci et Romani, ita nunc Franci maximopere abundant.

De testimoniorum auctoritate ponderanda erudite scripsit J. A. Ernesti, *De hist. fide recte aestimanda*, in Opusc. Philol. Crit. *De fide hist. contra Pyrrhonismum historicum* tuenda, Perizonius, Oratt. p. 103.

VII. DE CHRONOLOGIA.

26. Quum populorum status et acta eventaque omnia tempori et loco sint adstricta, manifestum est gentium descriptionem et rerum gestarum enarrationem caecam esse sine descriptione regionum ac temporum notatione: quamobrem merito chronologia et geographia *ambo historiae oculi* sunt appellati.

Chronologia rerum actarum seriem ad certam temporum rationem revocat. Nata ex historia, paullatim propter rei difficultatem propria disciplina effecta est. Difficultas illa posita partim in vetustatis obscuritate, partim in diversa temporum descriptione apud diversos populos usitata, partim denique in veterum chronologorum commentis et fictionibus. Itaque chronologiae munus est, comparatis inter se diversorum populorum fastis, adhibita astronomiae ope, e diversis et saepe obscuris indiciis certam temporum rationem constituere.

Epoche (Ἐποχή), *Aera*, *Fasti*, *Cyclus*, *Periodus*.



27. Antiquissimorum temporum chronologia valde incerta est et multis involuta commentis. Historici Graeci tria faciebant temporum discrimina: tempus *ἄδηλον*, tempus *μυθικόν* et tempus *ἱστορικόν*; postremi initium a prima Olympiade ducebant [1]. Et veteriorum quidem temporum chronica partim e probabili aetatum (*γενεῶν*) computatione effecta, partim conflata sunt commentitiis sacerdotum et astrologorum cyclis et periodis, quae deinde in historiam transierunt.

Tales sunt *annus* sive *cyclus canicularis* (*κυνικὸς κύκλος* s. *σωθιακὴ περίοδος*, a *Σῶθις*, *Canis sidus*) Aegyptiorum, complexus annos 1460 = 4 × 365; et Chaldaeorum cycli lunares: *Sossus*, (60 annorum), *Nerus* (10 × 60 = 600 annorum), et *Sarus* (60 × 60 = 3600 annorum); quorum cyclorum in vetustissima chronologia late patuit usus. E similibus quibusdam cyclis mythicas Graecorum chronologias conflatas esse probabile est. Ita conficti sunt portentosi illi annales dynastiarum et regum, qui fabulosis temporibus cum apud orientales populos, Aegyptios, Chaldaeos, tum etiam apud Graecos feruntur. Cf. Clem. Alex. *Strom.* I, p. 335 Sylb. [2].

Ceterum antiquiora tempora veteres plerumque computabant *γενεαῖς*, aetatibus, quarum tres fere efficiebant centum annos; attamen haec ratio neque constans est neque accurata. Vid. Wesseling. ad Herodot. II, 142.

28. Historici quoque temporis initia subobscura sunt; certior et plenior notitia ab eo demum tempore ducitur, a quo res accuratius litteris mandari coeptae

---

[1]) Varro apud Censor. *De die nat.* c. 21. Africanus apud Euseb. *Praep. Eu.* X, 10. p. 487.

[2]) Vid. Boeckh, *Manetho und die Hundsternperiode.* Berl. 1845. Car. Müller, *Fragm. Chronol.* (adjecta Herod. Edit. Didot.) p. 111 sqq.

sunt, eaque universe quidem VIum ad VIIIum ante Chr. seculum non excedit. Primum anni designari solebant secundum reges, sacerdotes, magistratus; postea constitutae sunt certae epochae sive termini unde annorum series (aera) duceretur.

Ita ex. gr. Athenienses et Boeoti secundum Archontes, Spartani secundum Ephoros, Argivi secundum Junonis sacerdotes annos numerabant (Polyb. XII, 12); Romani secundum Consules (*Fasti consulares*).

29. Aerae hac apud diversos populos fuerunt diversae, earumque exordia varia, quum alia a vere, alia ab auctumno, alia a solstitio aestivo, alia a bruma inciperet; denique annorum ratio inconstans et alibi lunaris, alibi solaris fuit. Inter peculiares has aeras praecipue memorabiles sunt hae:

a. a. Chr. 776. *Aera Olympiadum*, primum historiae adhibita a Timaeo; duravit usque ad Olymp. 293, a. p. Chr. 394, quo Olympia a Theodosio sunt sublata. Incipit a solstitio aestivo.

——— 753. *Aera Urbis conditae* (secundum Varronem), inde a Caesaribus vulgo usurpata historicis. Incipit a vere s. Palilibus, d. 21 Aprilis.

——— 747. *Aera Nabonassarea*, a Chaldaeorum rege Nabonassare cognominata, quam a Chaldaeis ductam Ptolemaeus in *Synt. math.* (*Almagesto*) aliique mathematici usurparunt. Incipit a d. 26 m. Februarii.

——— 312. *Aera Seleucidarum* (*Anni Graecorum*, *Anni post Alex.*), superioris aerae continuatio, in Syria aliisque Asiae partibus usque ad Saracenorum dominationem usurpata. Incipit ab auctumno.

a. post Chr. 284. *Aera Diocletiani* (*aera Martyrum*), in Aegypto praecipue usitata usque ad Saracenorum imperium, eademque etiamnunc a Christianis Abyssiniae adhibita ad dies festos ordinandos. Incipit a Diocletiani imperio, d. 29 m. Augusti.

———— 622. *Aera Muhammedica* s. *Hegira*, qua Muhammedani utuntur, exordium ducens a Muhammedis fuga, d. 15 m. Julii.

Anni descriptio, olim valde incerta, primum ordinata est a Jul. Caesare a. Chr. 45 (*annus Julianus*), post a Gregorio XIII Pont. Max. a. 1582 emendata.

30. Harum vero aerarum nulla nec communi usu aut eruditorum consensu recepta erat nec satis ampla, quae veteriorum temporum historiam caperet. Ideo multi Graeci scriptores *Trojae excidium* (a. Chr. 1184) vel *Heraclidarum reditum* (1104) epocham fecerunt ad quam tempora revocarent. Hebraei et Christiani res vetustiores a *Mose* vel ab *Abrahamo*, vel denique ab *Orbe condito* numerare instituerunt. Postrema ratio primum ab Israëlitis instituta est, auctore Rabbino Hillel, medio seculo IV^{to} p. Chr. Haud multo post Christiani annum J. C. natalem statuerunt limitem a quo tempora numerarunt. Ita exstiterunt duae hae aerae generales:

Aera ab Orbe condito (*ab ortu Mundi, Anni Mundi*), cujus initium a Judaeis, Graecis et Latinis varie definitum est. Judaei a. a. C. 3761, Graeci fere a. 5508, Latini circa 4000 ponunt; a plurimis historicis hodie recepta est Petavii computatio, orbem conditum statuentis a. a. Chr. 3983.

Aera Christiana (*Anni ab Incarnatione, a Nativitate Domini etc.*), primum ab abbate Dionysio Exiguo a. 556 proposita, deinde a Beda Venerabili commendata, quae inde a seculo VIII vulgari coepta, serius universae historiae tam antiquae quam novae adhibita est.

31. Tanta autem aerarum multitudo et fastorum varietas quum intricatam redderet chronologiam, Josephus Scaliger excogitavit certam normam ad quam diversae temporum rationes revocari possent, *Periodum Julianam* dictam, quia ad anni Juliani formam accommodata erat. Periodus haec effecta est e tribus cyclis, Solari 28 annorum, Lunari 19 annorum, et Indictionis 15 annorum, quorum origo antiqua et usus in ecclesia Catholica pervulgatus erat ad annos designandos, unde *Characteres temporum* sunt nominati. His cyclis in se ductis efficitur periodus 7980 annorum, quorum ambitu exacto, idem ordo revertatur. Periodi hujus cum ea est latitudo, ut omnes epochas capiat, tum ea ratio ut singuli ejus anni triplicis generis cyclis tamquam propriis notis sint insigniti, quibus a reliquis omnibus distinguantur.

Velut annus Christi natalis, qui est 4714 periodi Julianae, hos habet cyclos: Solarem 10, Lunarem 2, Indictionis 4, qui in nullum alium periodi annum cadunt. Ab hoc quasi limite proficiscentibus cujusque epochae cycli certa ratione reperiri et ad Julianam periodum revocari possunt [1]). Annus Mundi secundum Petavium incidit in annum Per. Jul. 730.

Jos. Scaliger, *De emend. temporum*. Genev. 1629.

[1]) Vid. Petavii, *Ration. temp.* Part. II, lib. I, 4 sqq. Ideler, *Lehrb. d. Chronol.* Einl. p. 40 sq.

32. Juliana haec periodus tantum lucis attulit chronologiae, ut Scaliger sine arrogantia de se posset dicere: „Rationem temporum ego primus omnium post tot secula ab oblivione vindicavi." Caeterum ad historiae cognitionem minor ejus usus esse coepit, praesertim postquam *Annus Mundi* et *J. C. Natalis* historicorum consensu definiti et vulgo recepti sunt. Postrema haec epoche hodie plerisque usitata est, qua tempora in annos *ante* et *post C. N.* dividuntur.

33. Inter chronographos veteres clari fuerunt Eratosthenes Graecus, Berosus Chaldaeus, Manetho Aegyptius, qui omnes Graece chronica scripserunt seculo III a. C., quo tempore etiam chronicon Parium in tabulis exaratum est. Porro seculo post Apollodorus Atheniensis (quem Diodorus Siculus secutus est), deinde Castor Rhodius, Caesaris aequalis, aliique, ex quorum operibus non nisi excerpta supersunt a posterioribus historicis et chronographis servata. Inter hos maxime inclaruit Julius Africanus, qui III post Chr. seculo edidit Chronicon, V libris constans (*πεντάβιβλον χρονολογικόν*), quod ipsum quoque intercidit Sed et hujus et superiorum jacturam aliquatenus compensat Eusebii Pamphili, Caesareensis Episcopi, qui seculo post vixit, *παντοδαπὴ ἱστορία*: opus bipartitum, cujus prior pars chronographiam ab a. M. ad a. p. C. 325, altera canonem chronicum continet. Eusebii hoc chronicon partim e latina versione Hieronymi, partim ex Armeniaca interpretatione in latinum sermonem conversa, ad recentiora tempora

propagatum est. Ut Eusebius praecipue Africanum est secutus, ita ex illo tanquam fonte seriores chronographi, Syncellus, Cedrenus, scriptor chronici Paschalis, aliique rivulos duxerunt.

Eusebium primus instaurare aggressus est Jos. Scaliger: *Thesaurus temporum;* Eusebii Pamphili *Chron. Canon. etc.* Lugd. Bat. 1606. fol. Nuper eundem ex Armeniaca versione auctum edidit A. Majus, Scriptt. vett. Nova collect. T. VIII. Romae, 1833.

Inter recentiores post Scaligerum chronologiam tam technicam quam historicam plurimum illustravit Dion. Petavius, *De doctrina temporum.* III Tom. fol. Nov. ed. Antv. 1703. Nostra aetate Lud. Idler, *Handbuch der math. und techn. Chronologie.* Berl. 1825; et brevius Idem, *Lehrbuch der Chronologie.* Berl. 1831.

Ad historiae universae notitiam pertinent, praeter Petavii *Rationarium temporum*, 8°. nov. ed. L. B. 1745, et Simsoni *Chronicon* ed. Wesseling. Amst. 1752, primarium opus:

L'Art de vérifier les dates, ou la suite chronologique des événemens remarquables etc. Paris, 1783. Quod opus superiore seculo inchoatum a Benedictinis, nuper continuatum est. Paris, 1819 sqq.

Porro A. Le Sage (Las Cases), *Atlas historique, généalogique etc.* Paris, 1814. Chr. Kruse, *Atlas zur Uebersicht der Gesch. aller Europ. Länder und Staaten etc.* 4te. ausg. Halle, 1829. Buret de Longchamps, *Les Fastes universels.* Paris, 1821.

Ad veterem historiam praecipue commendandi Henr. Clintonis, *Fasti Hellenici.* Voll. III. Oxford, 1834.

E. W. Fischer, *Griechische und Römische Zeittafeln.* Alton. 1846. (Opus nondum absolutum).

P. Bosveld, *Tijdmeter der Gewijde Gesch.* Dordr. 1818.

34. Chronologiae comes est genealogia, quae illustrium gentium et dynastiarum stemmata successionis

ordine exponit. Tabularum genealogicarum usus ad multas historiae partes declarandas plane necessarius est.

Exempli gratia, veterum orientalium populorum chronologia tota fere nititur regum et principum stemmatibus. Historia primorum Caesarum, Carolingorum, ne recentiores memorem, sine genealogiae luce obscura est.

De Romanis Ruperti, *Stemmata Gentt. Roman.* Gött. 1795. item Graevii *Thes. Antiq. Rom.* T. VII.

Ad Medii aevi et recentiorum temporum genealogiam cognoscendam, magna exstat copia librorum, annalium, tabularum, quibus singulorum populorum principes et nobiles familiae illustrantur. Universe vid. Le Sage, *Atlas* modo laud.

VIII. DE GEOGRAPHIA.

35. Geographia ad historiam necessaria est, partim ad populorum et civitatum regiones atque loca ubi res evenerint noscenda, partim etiam ad terrarum situm, naturam, temperiem animadvertendam, quum gentis cujusque sedes cum ipsius indole, moribus et institutis artissime cohaereat.

Fr. Cramer, *Gesch. d. Entziehung*, B. I. p. XX: „Die Erde „ist das grosse Erziehungshaus des Menschengeschlechts, in „welchen die göttliche Vorsehung jedem Volke den Kreis „seiner Entwickelung und die Schule seines Lebens angewie- „sen hat." Velut quod gentes aliae sunt nomades, aliae stabiles, aliae agrorum culturae, aliae navigationi operam dant, magna pro parte pendet a regionum natura. Etiam ratio civilis, artes et studia, ex. gr. Graecorum, Phoenicum, vel, ne exteros memorem, Batavorum, partim e regionum situ et opportunitatibus explicanda sunt.

De geographiae utilitate Strabo, Lib. I, p. 16 sqq.

36. Geographiae scientia, mathematicis nixa prin-

cipiis, duas habet partes, quarum una est physica, quae terrarum naturam et situm, solum coelumque describit. Haec conjunctam sibi habet *Ethnographiam*, quae nationum et gentium originem, naturam, figuram, victum, migrationes describit. Hujus cognitio, a veteribus haud neglecta, diligenter et studiose a recentioribus, nostra praesertim aetate, culta est.

Jam veteres inde ab Herodoto usque ad Tacitum de gentium, etiam incultiorum, natura et moribus multa acute animadverterunt; inter recentissimos, qui ad hanc cognitionem plurimum contulerunt, memorandi imprimis v. Zimmermann, Maltebrun, Alex. v. Humboldt, K. Ritter, *Die Erdkunde im Verhältnisse zur Natur und Gesch. d. Menschen.* 3 Aufl. Berl. 1834.
De Aardbol, Magazijn van hedend. Land- en Volkenkunde. Amst. 1839. sqq.

Inter gravissimas ethnographiae quaestiones est ea quae inquirit in generis humani stirpes earumque inter se et diversitatem et cognationem, ratione habita figurae, coloris, morum, linguarum. Quod argumentum illustravit imprimis J. Cowles Prichard, *Researches into the physical history of mankind.* Lond. 1837; etiam Germanice vers.

37. Altera geographiae pars, qua politica vocatur, arctissime cum historia est conjuncta, et pro variis rerum ac temporum vicissitudinibus et populorum mutationibus variatur. Generatim haec, sicut ipsa historia, dividitur in *antiquam* et *novam*, quas inter *medii aevi* (a. p. C. 500—1500) geographia est interjecta.

Medii aevi geographia magnam partem adhuc multa caligine tecta est et ex actorum et annalium latebris eruenda.

38. Antiquae geographiae cognitionem debemus Graecis et Romanis, maxime tamen Graecis, qui tam ea quae ipsi investigarunt, quam quae aliunde acceperunt, memoriae mandarunt. Antiquissima geographiae notitia angusta et fabulosa (Moses, Homerus. cf. Strabo, lib. I), paullatim aucta et dilatata est partim per colonias et expeditiones navales Graecorum, Phoenicum, Carthaginiensium (Hannonis *Περιπλοῦς*); partim eruditorum hominum investigatione et itineribus (Herodotus, Scylax, Pytheas, alii); partim par bella quae primum Graeci (Xenophon), deinde Macedones, ductu Alexandri, Seleuci aliorumque (Nearchus, Megasthenes), denique Romani (Polybius, Jul. Caesar) in Asiam, Africam, Hispaniam, Galliam aliasque regiones intulerunt.

39. Diligentior et subtilior geographiae explicatio, tam mathematica quam physica et politica, a Graecis, praesertim inde ab Aristotele, instituta est. Ab his terrae forma et magnitudo, solis siderumque circuitus, zonarum et climatum varietas, circulorum descriptio [1]); ab his orbis terrarum distributio in tres partes, Europam, Asiam et Libyam; ab his singularum regionum, remotiorum etiam, descriptio cum animadversione naturae rerum hominumque exposita et posteris prodita sunt. Inter geographos veteres post Eratosthenem, cujus scripta interierunt, unanimi consensu principatum tenent Strabo, Augusti aequalis,

---

[1]) Strabo Lib. II, p. 170 sq. Ed. Almel.

qui geographiam conscripsit XVII libris, in quo opere doctrinae copiam et diligentiam cum orationis lumine adaequavit; et Claud. Ptolemaeus, saec. II p. C. (*Γεωγραφικὴ ὑφήγησις*, VIII libb.) qui mathematica metiendi diligentia et accurata regionum locorumque notatione geographiam ad artem redegit, quam posteri per multa secula tanquam normam sunt secuti. Inter Latinos Pomponius Mela (*De situ Orbis*) et Plinius (*Hist. Nat.* Lib. II—VI) geographiae cognitionem promoverunt [1]).

Praeter geographos hos majores, seorsim editos, memorabilis est minorum geographorum collectio, quam post Hoeschelium et Jac. Gronovium pleniorem edidit Io. Hudson, *Geographiae vet. scriptt. Graeci minores.* Oxon. 1698, 4 voll. 8°. Hudsoni edit. nova cura instruxit J. Fr. Gail. Paris, 1820. Ad mathematicam vett. geographiae scientiam cf. Petavii *Uranologion*, Operis *De doctr. tempp.* T. III.

Antiqui Graeci locorum intervalla et longitudines metiri solebant *stadiis*, Romani *milliariis;* praeterea saepe memorantur Persarum *parasangae* et *schoeni.* Eorum longitudo haec fere est:

Stadium (*στάδιον*) = 600 ped. Graec. $175{,}_{2464}$ metr. = $^1/_{600}$ mill. geogr. = $^2/_{60}$ horae.

Milliarium (1000 pass.) = 5000 ped. Rom. = $1841{,}_{48}$ metr. = $^1/_{75}$ mill. geogr. = $^{16}/_{60}$ horae.

Parasangae et schoeni mensura non certa fuit; utriusque aeque ac hodie milliarii, aliis locis major, aliis minor erat longitudo. Plerumque parasangae tribuebatur spatium 30 stadiorum, s. unius horae; interdum vero 40; schoenus modo

---

[1]) Historiam geographiae enarrant Ukert, *Geogr. d. Gr. u. Römer.* I. Maltebrun, *Précis de la Géogr. univ.* T. I. Forbiger, *Handb. d. alt. Geogr.* T. I.

duorum parasangarum sive 60 stadiorum longitudo, modo parasangae fere aequalis habebatur [1]).

40. Post Romani imperii interitum, veteris orbis status plane mutatus est, et multis magnisque tempestatibus quassatus per multa secula instabilis fuit. Interim terrarum gentiumque notitia amplificata est partim per Arabes ét Normannos, partim bellis cruciatis et mercatorum expeditionibus; maxime vero, postquam America reperta et iter maritimum in Indiam monstratum est, per navales cursus et colonias dilatati sunt geographiae fines. Veteri orbi accessit novus, ignotae vel obscurae regiones sunt apertae, creverunt artes et disciplinae praesertim rerum naturalium; eaque omnia ad pleniorem et interiorem tam naturae coelique quam terrarum et gentium cognitionem contulerunt.

Geographiam veterem post Cluverium (L. B. 1629), Cellarium (Lips. 1701), D'Anville (Paris 1768), exposuerunt praecipue: K. Mannert, *Geogr. d. Griech. u. Römer*. Leipz. 1788 sqq. XIV Voll. F. A. Ukert, *Geogr. der Gr. u. R.* Weimar, 1816 sqq. (Opus nondum absolutum).

F. K. L. Sickler, *Handbuch d. alten Geographie*, 2 Th. Cassel, 1832. A. Forbiger, *Handbuch der alten Geogr.* 3 B. Lips. 1842 sqq.

Ex ingenti tabularum geographicarum numero, qui in dies augescit, paucas commemorasse sufficiat:

Atlas antiquus Danvillianus. Par. 1768. (saepius repetitus.) Ch. Th. Reichardi *Orbis Terrarum antiquus*. Norimb. 1818 sqq.

---

[1]) Ukert, lib. laud. Vol. 1, P. II. p. 54 sqq. Forbiger, lib. laud. T. I. p. 549 sqq.

C. Kärcher, *Orbis terrarum antiquus et Europa Medii aevi*. Caroliruhae. Inter recentissimos commendandus: J. V. Kutscheit, *Handatlas d. alten Gesch. u. Geographie*. Berl. 1843.

Ad recentioris geographiae cognitionem imprimis commendantur: A. Balbi, *Abrégé de géographie*. Paris, 1838. De Rougemont, *Précis d'ethnographie, de statistique et de géographie historique*, 2 voll. Neuchatel, 1835. A. A. van Heusden, *Leerboek der aardrijksk.* Breda, 1848.

IX. HISTORIAE UNIVERSALIS RATIO, PARTES, PROGRESSIO.

41. Historia universalis non diversarum quotquot fuere gentium res singulatim exponit, sed cunctas tanquam unius societatis partes inter se connectit. Itaque rerum ac temporum ordinem et consequentiam observans, animadvertit, quae gentes quaque aetate primarias egerint partes, harumque praecipua acta et fata, instituta et artes, e quibus cujusque ingenium, vita et cultus agnoscatur, exponit; maxime vero attendit eas res et eventa, quae ad temporum conversiones et humanitatis processus momentum habuere: ut historia universalis sit tanquam speculum, in quo et singularum gentium vita ac mutua earum inter se conjunctio et universi generis humani cursus per varias temporum et rerum vicissitudines cernatur.

Ex historia universali derivatae sunt eae historiae species, quae appellantur *Geschiedenis der Menschheid*, *Cultur-Geschichte*, *Histoire de la Civilisation*, quibus humanitatis, cultioris vitae, rationis civilis initia et progressus variaeque partes et formae exponuntur. Copiosos librorum eo spectantium indices exhibet W. Drumann, *Grundriss der Cultur-geschichte*, Königsb. 1847.

Ad antiquorum populorum cultum imprimis pertinent: Goguet, *De l'origine des loix, des arts et des sciences etc.* La Haye, 1758. Heeren, *Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der A. Welt.* Gött. 1824.

42. Historiae universalis theatrum initio angustum, paullatim dilatatum est, postremo omnem paene gentium orbem complecti coepit. Ut ab Europaeis maxime tractata est historia et horum vis per totum terrarum orbem maxima fuit, ita in historia praecipue memorantur praeter Europae populos ii, quibus commercium cum his vel notitia intercessit: nempe gentes Asiae occidentalis cis Indum, et gentes Africae septentrionalis, fl. Nili et mare internum accolentes. Reliquae orientis nationes obscurae sunt aut minus illustres; nonnullae earum eluxerunt quidem ad tempus, ut Scythae, Hunni, Mongoli; sed ad humanitatis incrementa parum contulerunt. America sero reperta, et paullatim altera fere Europa facta; India et Sina item recentiore demum tempore patefactae; interior Africa adhuc paene clausa; Australia nuper demum Europae coloniis aperiri coepta.

43. Universa historia magnis rerum eventis et conversionibus in certas partes scinditur. Recepta est vulgo tripartita divisio in

Historiam *antiquam* usque ad occasum imperii Romani occidentalis, a. p. C. 476.

Historiam *medii aevi* usque ad a. 1500.

Historiam *recentiorem*, quae sequentia deinceps secula complectitur.

Hae partes ut magnis rerum eventis distinctae, ita gentium ingeniis, moribus et studiis sunt dissimiles. Occasus imperii Romani exordium fuit novi seculorum ordinis: novae gentes, regna, linguae, instituta, religiones, surgere coeperunt. Seculum XVI^{um}, quo reperta est America, vidit reviviscentes artes et litteras, exorientem rerum sacrarum et civilium conversionem, novum terrarum orbem tam in oriente quam in occidente Europaeorum commercio, coloniis, artibus apertum.

Sunt qui bipartitam faciunt historiae divisionem, in *Veterem* et *Novam*, novam incipientes vel a J. C. natali, vel ab interitu imperii Romani, sec. V, vel a Carolo Magno; alii quadripartitam, a recentiore historia distinguentes recentissimam, incipientem a Francica rerum conversione, a. 1798. Neutra harum rationum satis valere videtur ut a recepta divisione recedamus.

44. Singularum illarum partium est rursus propria divisio, eaque duplex, vel secundum gentium vel secundum seculorum partitionem; quarum prior *ethnographica*, altera *synchronica* appellatur. Neutra sola per se sequenda, sed utraque, quantum rerum ratio fert, copulanda, ut et propria cujusque populi indoles, actio, vita, et communis populorum inter se conjunctio, et humani generis quasi cursus declaretur.

45. In vetere historia id commode assequamur dividendo eam in certas periodos, in quibus singulis certae gentes primarias egerunt partes. Universe tria gentium genera in antiquitate elucent, tam aetatibus

et regionibus quam ingeniis et actionibus distincta: Orientales populi, Graeci et Romani. Hi deinceps primas in historia egerunt partes: principio Oriens, deinde Graecia, tum Roma in orbe terrarum eluxit. Porro tres epochae sunt in antiqua historia maxime memorabiles: Cyri, Alexandri, Augusti, quae singulae maximis eventis et rerum conversionibus insignes fuerunt. Cyrus diversa Orientis regna sub unum imperium redegit, Judaeos patriae reddidit. Alexander Orientem debellavit et Graecorum commercio ac linguae aperuit. Augustus orbi terrarum jura praescripsit eoque imperante natus est J. C. Inde exsistit haec periodorum descriptio:

I. *Prima periodus:* a primordiis regnorum et civitatum usque ad Cyrum, circ. a. a. C. 555. Per hoc seculorum spatium regna et populi Asiae et Aegypti maxime vigent. Graecorum opes et artes paullatim crescunt.

II. *Secunda periodus:* a Cyro ad Alexandrum, circ. a. 555-333. Graecia rebus gestis et artibus ad fastigium pervenit; Macedoniae opes exsurgunt. Orientis vis paullatim frangitur. Romae et Carthaginis vires invalescunt.

III. *Tertia periodus:* ab Alexandro ad Augustum, circ. a. 333 — 30 a. C. Romana resp. ad summum potentiae gradum pervenit. Graecorum et Macedonum opes senescunt. Carthago corruit.

IV. *Quarta periodus:* ab Augusto ad interitum imperii Romani, a. C. 30 — 476 p. Ch. Romani imperii moles, languescente virtute, paullatim collabitur. Exsurgens gentium Germanicarum vis. In Oriente Parthorum et Persarum motus.

46. Quemadmodum in singularum gentium, excellentiorum praesertim, historia cernitur ingeniorum

quaedam aeque ac aetatum progressio, quae cum singulorum hominum infantia, adolescentia, virili robore et senectute comparari potest [1]); item inter diversos ejusdem aetatis et vicinae originis populos gradus quidam humanitatis animadvertuntur, sic quoque totius generis humani per gentium et seculorum cursum progressio quaedam animadvertitur, conspicienda in mutuo populorum commercio, in ratione civili, in religionibus, artibus moribusque; quae cum diversis aetatum gradibus aliquatenus potest comparari, ut Orienti humanitatis quasi infantia, Graecis et Romanis adolescentia, Germanicis gentibus maturior aetas assignetur.

In hac comparatione omnino animadvertendum, quantum intervallum sit inter populum et singularem hominem, tantam quoque inter ambos esse naturae, virium, actionum differentiam; praeterea hanc progressionem agnosci tantum in illustrioribus orbis terrarum gentibus. In gentibus autem et aetatibus inter se comparandis praecipue attendi oportet ad notas, quibus cujusque gentis χαρακτὴρ cernitur.

Si populos Orientales, Graecos et Romanos inter se comparamus, eorum praecipuae notae sunt fere hae:

In Oriente valuit regia dominatio et ordinum (*Kastarum*) institutum; in Graecia nata est libertas, exstiterunt respublicae; Romani rempublicam firmius constituerunt et jura tam publica quam privata melius ordinarunt.

Oriens fuit parens religionum; in Graecia floruit philosophiae contemplatio (θεωρία); apud Romanos jurisprudentia, quae πρακτικὴ philosophia est.

In ingenii et artis monumentis, architecturae, sculpturae, poësis, &c. apud Orientales conspicitur operum et imaginum

---

[1]) In Romanorum historia tale aetatum discrimen jam animadvertit Florus *Epit. rerum Rom.* Prooem. § 4 sqq.

granditas; apud Graecos ordo et venustas; apud Romanos decus et utilitas.

In vita domestica apud Orientales invaluit polygamia; apud Graecos et Romanos monogamia; honestior etiam feminarum status apud Romanos quam apud Graecos.

Denique si mutuum gentium inter se commercium attendimus, in Oriente populi et regna magis separata a se invicem; per Graecos valde dilatatum est gentium inter se commercium; Romani omnes fere orbis terrarum partes communi vinculo copularunt.

X. HISTORIAE UNIVERSALIS SCRIPTORES.

47. Historia universalis, ab antiquis scriptoribus varie tentata paullatimque exculta et amplificata, a recentioribus demum historicis plenius, eruditius et clarius exposita est.

Inter antiquitatis monumenta vetustissimi sunt libri Mosaïci (1550 a. C.), praesertim *Genesis*, in quo Israëlitarum res a generis humani primordiis repetuntur.

Huc pertinent quae de generis humani incunabulis, de artium initiis, de diluvio, de variis gentium stirpibus, de antiquissimis urbibus etc. ibi leguntur.

Sequuntur Homerica carmina, sex fere seculis posteriora (a. C. 950), in quibus vetustorum temporum μῦθοι, qui poëtae innotuissent, et priscorum populorum mores fabulose enarrantur.

Tales sunt narrationes de itinere Argonautarum, de erroribus Ulyssis, de cursibus Menelai qui de se ipso refert, Odyss. IV, 83:

> Κύπρον Φοινίκην τε καὶ Αἰγυπτίους ἐπαληθεὶς
> Αἰθίοπας θ' ἵκομην καὶ Σιδονίους καὶ Ἐρεμβοὺς
> Καὶ Λιβύην —

48. Quinque fere seculis post fuit parens historiae Herodotus (450 a. C.), qui in bellis Graecorum adversus barbaros exponendis intexuit narrationes et descriptiones plerarumque gentium et regionum, quas vel ipse adiisset vel aliunde cognovisset.

Praeter Graecos in Europa et Asia habitantes Herodotus enarrat res Lydorum aliorumque Asiae populorum, Medorum, Babyloniorum, Persarum, Aegyptiorum; agit de Aethiopibus, Arabibus, Indis; de populis Scythiae, Libyae, Thraciae, aliisque.

49. Qui hunc secuti sunt, Thucydides et Xenophon, praeclari historici, suae fere aetatis et populi terminis circumscripserunt historiam. Latiorem vero campum ingressi sunt Theopompus et Ephorus, Philippi Macedonis aequales, quorum prior generalem fere suae aetatis historiam exposuit in *Philippicis*, in quo opere LVIII, ut videtur, libris composito, res gestas Macedonum cum reliquarum gentium rebus contexuit; alter in *Historiarum* libris XXX omnem seculorum memoriam ab Heraclidarum reditu ad sua usque tempora est persecutus. Utriusque scripta interciderunt, sed profecerunt ex his cum alii, tum praesertim Diodorus Siculus et Trogus Pompejus.

Theopompi Chii fragmenta collegit etc. R. H. Wichers. Lugd. Bat. 1829. Ephori Cumaei fragm. Meier Marx. Caroliruhae, 1815.

50. Polybius, pragmaticae rationis auctor, generalem orbis terrarum historiam conscribere aggressus,

complexus est illud temporis spatium, quo Roma gentium imperium fundavit, praecipue quidem a. C. 220—168. Quae quidem aetas propter magnarum rerum eventa et communia populorum acta et fata peridonea erat ad res diversarum gentium uno vinculo comprehendendas. E XL operis ejus libris superstites sunt quinque primi; reliquorum excerpta tantum exstant.

Aetatis illius opportunitatem ad conscribendam historiam generalem notat Polyb. *Prooem.* I, 3: Ἐν μὲν οὖν τοῖς πρὸ τούτων χρόνοις ὡσανεὶ σποράδας εἶναι συνέβαινε τὰς τῆς οἰκουμένης πράξεις . . . Ἀπὸ δὲ τούτων τῶν καιρῶν οἱονεὶ σωματοειδῆ συμβαίνει γίγνεσθαι τὴν ἱστορίαν, συμπλέκεσθαί τε τὰς Ἰταλικὰς καὶ Λιβυκὰς πράξεις ταῖς τε κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ ταῖς Ἑλληνικαῖς, καὶ πρὸς ἓν γίγνεσθαι τέλος τὴν ἀναφορὰν ἁπάντων.

Ordinem historiae suae exponit Polybius Lib. III, c. 2-5.

51. Diodorus Siculus, qui Caesaris tempore vixit, condidit historiarum *Bibliothecam*, XL item libris constantem, opus magni laboris magnaeque eruditionis, in quo Ephorum maxime secutus historiam καθολικὴν omnium gentium synchronico ordine exposuit, inde a fabulosis temporibus usque ad Julii Caesaris expeditionem Britannicam. Supersunt ex his libri XV, nempe quinque primi, res bello Trojano antiquiores complexi; deinde liber XI ad XX, res gestas inde a Xerxe usque ad proelium apud Ipsum continentes; reliquorum eclogae.

Consilium et argumentum operis sui exponit Diodorus Lib. I, c. 3 et 4.

52. Eadem aetas ferax fuit historicorum Latinorum, qui res Romanas memoriae prodiderunt, ut Caesar, Sallustius, Livius, alii. Ex his vero qui primus Latinorum aggressus est historiam universalem condere, fuit Trogus Pompejus, Augusti aequalis. Hic Theopompi exemplo scripsit *Historias Philippicas*, in quo opere exorsus a Nino res omnium gentium ac civitatum tam graecarum quam barbararum exposuit, et copiosissime quidem res Philippi et Alexandri regnorumque quae ex hujus imperio orta sunt; Romanas res strictim tantum attigit. Trogi historiam doctrina aeque ac rerum dispositione insignem in epitomen redegit Justinus, seculi II vel III scriptor, cujus *Historiae Philippicae* illius operis amissionem aliquatenus compensant.

Praeter Justini epitomen exstant etiam Trogi historiarum *Prologi*, ab ignoto auctore, singulorum librorum argumenta continentes; e quibus colligi potest, quae Justinus in epitome omiserit. Adjecti sunt hi Prologi Justini editioni Gronov.

Niebuhr, *Vorträge über alte Geschichte.* (Berl. 1847) Vol. I. p. 8 sqq.

53. Appianus Alexandrinus, qui medio seculo II p. C. Antonini tempore vixit, imperii Romani jam ad summum potentiae gradum evecti historiam conscribere instituit ita, ut tam hujus quam reliquarum quas subjugavit gentium res gestas singulatim sive provinciatim (*κατὰ ἔθνος ἕκαστον*) exponeret, singulos populos singulis fere complexus libris, qui inde sunt inscripti: *Italicus*, *Samniticus*, *Celticus*, *Siculus*, *Hispa-*

nicus, &c. Operis hujus in XXIV libros partiti dimidia fere pars superest.

54. Ultimis imperii Romani temporibus, imperante Honorio (417 p. C.), fuit Paulus Orosius, qui scripsit VII libros *Historiarum adversus Paganos* (sive *de cladibus et miseriis mundi*), opus B. Augustini hortatu susceptum, cujus consilium et indolem ipsa inscriptio significat. Orosii hic liber magnam partem e Justino derivatus per medium aevum fuit praecipuus historiae fons et exemplum quod scriptores vulgo imitarentur.

55. Renatis litterarum studiis etiam historia, quae medio aevo nil nisi Annalium fuerat scriptio, reviviscere coepit, et inde a seculo XVI exorti sunt scriptores qui res suorum temporum luculenter exposuerunt, quales fuere Guicciardini, Sleidanus, Thuanus, Grotius. Sed historia universalis diu exiliter tractata est, et scholae magis quam vitae accommodate. Exemplo sit Io. Carionis *Chronicon latine expositum et auctum* (a Ph. Melanchthono), Witteb. 1558, in quo omnis historia (secundum Danielem) in quatuor imperia erat digesta, Chaldaïcum s. Assyriacum, Persicum, Macedonicum, Romanum, quod postremum adhuc continuari censebatur; qui liber diu pervagatus in scholis fuit. Elegantius, doctius et uberius exponi historia universalis coepta est seculo XVII, primum a scriptoribus Francis inde ab aetate Ludovici XIV, inter quos eluxit imprimis Bossuet (*Discours sur l'hist. univ.* Paris, 1681), et Rollin, quorum opera, illa

aetate omnium manibus trita, adhuc sunt in honore; porro Millot, aliique.

56. Deinde Germani praecipue historiam universalem tractare aggressi sunt; apud quos inde a superiore seculo multi exstiterunt, qui doctrina, ratione, ingenio vel antiquorum vel recentiorum temporum historiam egregie illustrarunt. Quorum in numero in primis nominandi Goettinganae universitatis professores qui sub finem superioris seculi fuere, Aug. Lud. von Schlözer, Io. Chr. Gatterer, Io. Goth. Eichhorn, et deinde A. H. L. Heeren; porro qui his aetate aequales vel paullo inferiores fuerunt, Chr. Dan. Beck, K. H. L. Pölitz, Io. von Müller; et recentissimi, K. von Rotteck, K. F. Becker, F. Ch. Schlosser, H. Luden, Fr. von Raumer, H. Leo, aliique multi, quos etiam Franci et Itali scriptores, ut De Ségur, César Cantu, aliique sunt aemulati: quorum studiis effectum est ut cum singulorum populorum et aetatum indoles, tum humanitatis processus et divina rerum humanarum gubernatio in seculorum cursu conspicienda, clarius agnoscantur.

Multi horum scriptorum, Heeren, Pölitz, v. Müller, Becker, v. Rotteck, nuperrime etiam Schlosser, in patrium nostrum sermonem conversi et omnibus noti sunt. Nonnullorum indices apponam, partim qui universam omnium aetatum, partim qui antiquam historiam exposuerunt:

Chr. Dan. Beck, *Anleitung zur genauern Kenntniss der allg. Welt- und Völker-Geschichte.* 2te Aufl. Leipz. 1813. Opus singulari eruditione et accurata fontium notatione insigne.

Fr. Chr. Schlosser, *Weltgeschichte in zusammenhängender Erzählung.* Francf. 1815 sqq.

Heinr. Luden, *Allg. Geschichte der Völker und Staaten.* 3te Aufl. Jen. 1824.

Heinr. Leo, *Lehrbuch der Universalgeschichte.* 2te Aufl. Halle, 1839.

De Ségur, *Histoire Univ. ancienne et moderne.* Paris 1817 sqq.

César Cantu, *Storia universale comparata e documentata;* Francice: *Histoire Univ.* &c. *traduite par* Aroux et Leopardi. Par. 1843 sqq.

Antiquam historiam separatim tractarunt:

Rollin, *Histoire Ancienne.* Paris, 1730 sqq. Idem, *Histoire Romaine.* ibid. 1740 sqq. Quod opus continuarunt Crévier, *Histoire des Empereurs jusqu'à Constantin*, ibid. 1750. Lebeau, *Histoire du Bas-empire.* 1757. Librorum horum saepius repetita est editio, nuperrime Paris. 1820 sq.

Fr. Chr. Schlosser, *Universalhistorische Uebersicht der Gesch. d. Alten Welt u. ihrer Cultur.* Francof. 1826 sqq.

A. H. L. Heeren, *Handbuch der Geschichte der Staaten d. Alterthums.* Nov. edit. Gött. 1828 (*Hist. Werke*, Th. VII). Idem, *Ideen über die Politik etc. der alten Völker.* Nov. ed. Gött. 1824 sqq. (*Hist. Werke*, Th. X sqq.)

Fr. von Raumer, *Vorlesungen über die A. Gesch.* 2te Aufl. Leipz. 1847.

G. Dornseiffen, *Handboek voor de Algemeene Geschiedenis.* Idem *Handleiding* enz., Breda. 1827 sqq..

H. Riedel, *Algemeene Geschiedenis van de Volken en Staten der Oudheid* enz., Groning. 1841 sqq.

P. Bosscha, *Synopsis hist. universalis veteris.* Daventr. 1827.

Ad fontium cognitionem imprimis utiles sunt:

J. C. Eichhorn, *Antiqua historia ex ipsis vett. scriptt. Graecorum narrationibus contexta.* Lips. 1811. Idem, *Ant. hist. ex ipsis vett. scriptt. Latinorum narratt. contexta.* Gött. 1811.

R. Lorentz, *Grundzüge zur Vorträgen über die Gesch. d. Völker und Staaten des Alterthums*, *vornehmlich d. Griechen u. Römer.* Leipz. 1833.

Pleniorem librorum historicorum notitiam suppeditant:

Bibliotheca Historica, *instructa a* Struvio, *aucta a* Budero,

emendata a Meuselio &c. Lips. 1782—1802. *Directorium Historicum Medii aevi post* Freherum *recognovit* Hambergerus. Gött. 1772. His adde diaria, praecipue *Repertorium Lipsiense*.

XI. DE PHILOSOPHIA HISTORIAE.

57. Ad interiorem historiae cognitionem non parum profuit philosophia et subtilior naturae humanae investigatio, quae inde a seculo XVII, a Bacone (*De dignitate et augmentis scientiarum*, 1605) et Lockio aliisque deinceps instituta, etiam ad civitatum et gentium mores, artes, studia, et ad generis humani naturam et conditionem interius explorandam est translata: unde postremo ipsa *philosophia historiae* nata est.

Indagandam haec sibi proponit rationem sive *τὸν λόγον* rerum humanarum. Principium statuens in historia aeque ac in mundo mentem et providentiam cerni, quae certa lege res humanas gubernet, hujus legis rationem in gentium rebus anquirit. Itaque explorando populi cujusque et aetatis ingenio, animadvertendo conversionum et vicissitudinum processu, diversisque seculis et gentibus inter se comparandis, generis humani indolem et progressionem per varias rerum ac temporum mutationes anquirit, ut inde et praeteritorum rationem intelligat et futura divinando prospiciat.

Cicero, *De Republ.* I, 29: „Miri sunt orbes et quasi circuitus in rebus publicis commutationum et vicissitudinum, „quos eum cognosse sapientis est, tum vero prospicere impendentes . . . divini paene est viri."

Nimia est recentiorum nonnullorum confidentia, qui huma-

nitatis vias ita se perspectas habere putant, ut futura non tantum conjici, sed certo praenosci posse non dubitent. Condorcet, *Esquisse d'un tableau historique des progrès de l'esprit humain.* „Si l'homme peut prédire avec une assurance presque entière „les phenomènes dont il connait les lois; si lors même qu'elles „lui sont inconnues, il peut, d'après l'experience du passé, „prévoir avec une grande probabilité les événemens de l'avenir; „pourquoi regarderait-on comme une entreprise chimérique, „celle de tracer le tableau des destinées futures de l'espèce „humaine, d'après les résultats de son histoire?" — Longius etiam procedunt multi recentiorum; haec tamen praedictio maxima pro parte mera divinatio est.

58. Philosophiae hujus summa ad haec duo fere capita redigi potest: unum, esse in genere humano certam progressionem; alterum, progressionem hanc congruam esse ei, quae in singulari homine cernatur. In his plerique conveniunt; sed in explicando, progressionis illius quod sit principium, quale iter, quis finis ad quem humanitas tendat; quae porro singularum gentium et seculorum indoles et ratio, de his magna est discrepantia, sive propter diversas philosophantium sententias, sive propter infinitam rerum humanarum amplitudinem et varietatem. Ceterum ut doctrina illa praeclara est et tam ad animi cognitionem quam ad historiae explicationem fructuosa, ita plus etiam profuisset, si magis cavissent multi philosophi, ne suae rationis decreta in historiam intruderent, neve naturali rerum cursu explicando humanae libertatis vim vel divini numinis praesentiam obscurarent.

59. Inter eruditos qui seculo XVII et XVIII de

historia philosophati sunt, hi imprimis sunt memorabiles: apud Francos Bossuet, qui in historia universa animadvertit divini numinis gubernationem, praecipue in gentis Judaicae et religionis Christianae fatis conspicuam; apud Italos Vico, qui attendit maxime orbes mutationum in jure publico diversis seculis factarum; apud Germanos Herder, qui praecipue rationem habuit *humanitatis*, hujusque indolem, opportunitates et processus in gentium historia animadvertit. Praeterea plerique superioris seculi philosophi et politici sua quisque ratione in humanitatis naturam et historiae leges inquisiverunt, ut Boullanger, Voltaire, Condorcet, Kant, Lessing, alii.

J. B. Bossuet, *Discours sur l'hist. univ. jusqu'à l'empire de Charlemagne.* Paris, 1681. „Le vrai dessin de cet Abregé est de „vous faire considerer dans l'ordre des temps la suite du peu„ple de Dieu et celle des grands Empires. Ces deux choses „roulent ensemble dans ce grand mouvement des siècles, où „elles ont pour ainsi dire un même cours; mais il est besoin, „pour les bien entendre, de les détacher quelquefois l'une de „l'autre, et de considerer ce qui convient à chacune d'elles. „Car ce même Dieu, qui a fait l'enchaînement de l'Univers, „et qui Tout-puissant par lui-même a voulu, pour établir „l'ordre, que les parties d'un si grand Tout dependissent les „unes des autres; ce même Dieu a voulu aussi que le cours „des choses humaines eût sa suite et ses proportions; je veux „dire, que les hommes et les nations ont eu des qualités „proportionnées à l'élevation à laquelle ils étaient destinés, et „qu'à la reserve de certains coups extraordinaires, où Dieu „vouloit que sa main parût toute seule, il n'est point arrivé „de grands changemens qui n'ait eû ses causes dans les siècles „précedens." (p. 134 et p. 347. Ed. Lond. 1707.)

Giamb. Vico, *Principj di una scienza nuova d'intorno alla commune*

nature delle nazioni. Neap. 1725. Germ. vers. *Grundzüge einer N. Wissenschaft über die gemeinschaftliche Natur der Völker, von* W. E. Weber. Leipz. 1822.

Vico in rerum humanarum vicissitudine agnoscit constantem ordinem divinitus constitutum, secundum quem rerum publicarum mutationes variaeque regiminis formae certa ratione sibi succedant. Distinguit generatim tres epochas sive aetates: primam divinam eandem que patriarchalem; secundam heroicam; tertiam humanam; quibus singulis suam esse regiminis formam, dialectum, artes et studia; atque haec aetatum discrimina in diversis populis et diversis seculis, in Oriente, Graecia, Italia, recentioribus denique temporibus, certo circuitu reverti. Rationis suae summam exposuit Vico in Vita sua, operi praeposita, vers. Germ. p. 106, et operis lib. V.

Herder, *Ideen zur Philosophie d. Gesch. d. Menschheit.* Riga, 1784; noviss. edit. *mit eine Einleitung von* Luden. Leipz. 1841. „Lebendige Menschenkräfte sind die Triebfeder der Menschen-„geschichte. — „Betrachten wir die Menschheit wie wir sie „kennen, nach den Gesetzen die in ihr liegen: so kennen wir „nichts höheres als *Humanität* im Menschen; — der Mensch „hat kein edleres Wort für seine Bestimmung als Er selbst „ist, in dem das Bild des Schöpfers unsrer Erde, wie es „hier sichtbar werden konnte, abgedruckt lebet." (Th. I, p. 184; Th. III, p. 282. Carlsruhe, 1820).

„Humanität ist der Zweck der Menschen-Natur, und Gott „hat unserm Geslecht mit diesem Zweck sein eignes Schicksal „in die Hände gegeben."

„Das Menschengeschlecht ist bestimmt, mancherlei Stufen „der Cultur in mancherlei Veränderungen zu durchgehen; „auf Vernunft und Billigkeit aber ist der daurende Zustand „seiner Wohlfahrt wesentlich und allein gegründet."

„Nach Gesetzen ihrer innern Natur muss mit der Zeitenfol-„ge auch die Vernunft und Billigkeit unter den Menschen „mehr Platz gewinnen, und eine daurendere Humanität be-„fördern." (Th. III, passim).

Inter reliquos non minime memorabilis est Lessingii scriptio:

Ueber die Erziehung des Menschengeschlechtes; cujus vestigia plures postea sunt secuti.

Cf. Vict. Cousin, *Cours d'histoire de la Philosophie*. 1828. Leç. VIe—XIe. P. J. B. Buchez, *Introduction à la science de l'histoire*. T. I, ch. 3.

60. Inter hujus seculi philosophos qui hanc doctrinam coluerunt, imprimis inclaruere: apud nostrates Van Heusde, qui in historia explicanda naturalem humanitatis progressionem cum christianae religionis efficacitate copulavit; apud Germanos Fred. von Schlegel et Hegel, quorum prior religionis praeceptis et effatis, alter idealismi rationibus philosophiam constituit; item Krause, *Panentheismi* auctor, et apud Francos Buchez, *Socialis sectae* aemulus, qui vicissitudinum humanarum legibus indagandis futurum rerum statum prospicere et meliorem humanae societatis conditionem praeparare studuerunt. Nuperrime rursus plures exstiterunt qui historiae contemplationem ad moralem Christianae religionis doctrinam revocarunt.

Ph. W. van Heusde, *De school van Polybius*. Amst. 1841.— *Proeve eener Geschiedenis des Menschdoms en der Menschheid, ter beantwoording der vraag: Hoe in de geschiedenis des Menschdoms de geschiedenis der Menschheid op te sporen?* [1]). „Wij „stellen ons volgens Polybius de wereldgeschiedenis voor — als „een levend en bezield geheel, waarin men den mensch in „zijne ontwikkeling, in zijne beschaving en volmaking aan„schouwt. — Maar ons standpunt van beschouwing moet nog „hooger, het moet, gelijk wij gezegd hebben, het Christen„dom zijn." (bladz. 116, 196).

---

[1]) Heusdii opus ipsius morte abruptum et imperfectum e paternis schedis edidit filius, vir clar. J. A. C. van Heusde.

„ Drie volkenwerelden; drie tijdperken der wereldgeschiedenis. — Beginselen in elk dezer: in het Oosten gezag en godsdienst; bij de Grieken en Romeinen burgerlijke vrijheid en wijsgeerte; bij de Germaansche volken individuële vrijheid, zelfstandigheid.

„ De mensch in de Geschiedenis: de kinderlijke zin in het Oosten; die der jeugd bij de Grieken en Romeinen; die der mans in de Germaansche wereld.

„ Invloed des Christendoms: de Geschiedenis des Christendoms is de Geschiedenis der wedergeboorte des Menschdoms tot een nieuw leven."

Fr. von Schlegel, *Philosophie der Geschichte in achtzehn Vorlesungen.* Wien, 1829.

„ Der nächste Gegenstand und die erste Aufgabe der Philo-
„ sophie ist die Wiederherstellung des verlohrnen göttlichen
„ Ebenbildes im Menschen, so weit dieses nämlich die Wis-
„ senschaft und ihr ganzes Gebiet angehet. — In Anwen-
„ dung auf das ganze Menschengeschlecht aber, auch in der
„ äussern Erfahrung und Entwicklung des Lebens den Gang
„ derselben Wiederherstellung in den verschiedenen Welt-pe-
„ rioden, — von der anfangen der Offenbarung bis zum mit-
„ telpunkte der Rettung und der Liebe (d. Christenthum), und
„ von diesem bis zum letzten Vollendung, — historisch nach-
„ zuweisen, bildet das Ziel für die Philosophie der Ge-
„ schichte." *Vorrede.*

G. W. F. Hegels *Vorlesungen über die Philosophie der Geschichte, herausg. von* Ed. Gans. Berl. 1837.

Summam argumenti exhibet A. Ott, *Hegel et la Philos. Allemande* (Par. 1844) p. 420 sqq. „ L'esprit universel, qui
„ dans l'art est image et contemplation; dans la religion,
„ sentiment et représentation; dans la philosophie, pensée
„ libre et pure, est dans l' histoire universelle à l'état d'effec-
„ tivité complète et totale 1). L'histoire est. . . . l'esprit uni-

1) *Der Geist ist, in der Weltgeschichte, in seiner concretester Wirklichkeit.* Hegel.

„versel qui se développe, qui produit librement au dehors „les moments necessaires de son concept" [1]).

„Les états, les peuples et les individus représentent des „moments déterminés de ce développement. Chacun de ces „moments se manifeste dans la constitution, dans les moeurs, „dans les croyances, dans tout l'état social enfin d'un peuple „déterminé; pour ce peuple il est donc le principe suprême, „la seule verité; . . . . mais vis-à-vis de l'esprit universel, „ces manifestations particulières ne sont que des moments, „des instruments par lesquels se prépare le passage à un „moment posterieur."

„C'est toujours un *seul* peuple, qui représente chaque „moment donné, et il ne le représente qu'une fois. — A la „tête de toute action est un individu; dans l'histore ce sont „les grands hommes, qui expriment la substantialité même „de l'esprit sous forme de subjectivités. — Ces moments „sont au nombre de quatre et forment les divisions de l'his- „toire: l'Orient, — la Grêce, — Rome, — les nations „Germaniques." [2]).

(Singularum harum partium propria ratio et universae mentis processus in his conspicuus porro explicantur.)

K. Ch. F. Krause, *Die reine Lebenlehre und Philosophie der Geschichte*, *herausg. von* H. K. v. Leonhardi. Gött. 1843.

„Die Philosophie der Geschichte erkennt das Ewige Un- „wandelbare in dem Leben aller Wesen. Sie lehrt die Ge- „setze kennen, wonach das Leben der Menschheid sich un- „vermeidlich entwickelt; sie fuhrt zu der Einsicht, dafs das „Leben auch dieser Menschheit nicht anders kan als stetig „zum guten fortschreiten. . . . Durch diese Ueberzeugungen „gewahrt die Philosophie der Geschichte in den Sturmen, „Schmerzen und Aengsten dieses Lebens Haltung und Stand- „haftigkeit, Muth, Hoffnung und unerschütterliches Gott- „vertrauen." *Einleit.* p. 29 sq.

---

[1]) *Die Weltgeschichte ist der Fortschritt (des Geistes) im Bewustseyn der Freiheit. — Endzweck der Welt: das Bewustseyn des Geistes von seiner Freiheit, und ebemdumit die Wirklichkeit seiner Freiheit.* Hegel.

[2]) Cf. Hegel, *Einl.* p. 19 sqq.

„Die Menschheit entfaltet sich in drie Hauptlebenalter. Das *erste*, oder das *Keimalter:* innigeres Verhältniſs der Menschheit zu Natur und Gott; goldenes Zeitalter; Unschuld.— Das *zweite*, oder das *Wachsalter:* Entwicklung der selbständigen Wesenheit der Menschheit als solche — in drie Perioden: 1ste Per. Polytheismus, Sclaverei, Kunst, Kastenwesen, etc. (Alterthum.) 2te Per. Anerkenntniss Gottes als Urwesens; Religiosität, Klerokratie, Tonkunst. (Mittelalter.) 3te Per. Abweisen aller äusseren auctorität; gewaltsame Umgestaltungen; Theismus, Kosmopolitismus, Toleranz. (Neueres Zeitalter.) — Das *dritte*, oder *Reifelebenalter* (Zeitalter der Reife): „Ecce nova omnia facio." (*Apocalyps.*) Panentheismus. „Alle bisherige Bestrebungen der Menschheit erscheinen als „Voranstalten zu dem einstigen gottinnigen Leben der Menschheit. — Das kommende Zeitalter ist das dritte Hauptlebenalter der Menschheit, zugleich das überall im Weltall „erreichbare, höchste," &c. (S. 473.)

P. J. B. Buchez, *Introduction à la science de l'histoire, ou science du développement de l'humanité.* Par. Brux. 1834.

„La science de l'histoire est assise sur deux idées: celle „de progrès et celle de l'analogie des facultés de l'humanité „avec celles de l'homme individuel. Nous devons la première „à Bacon, et la seconde à Condorcet." (T. 1, ch. 2.)

Pour s'élever à la conception de la liaison des faits et de l'harmonie universelle dont notre monde, l'humanité, les nations ne sont que des parties, l'écrivain philosophe dont nous nous occnpons a deux points de vue, celui des hommes et celui de l'univers. (Lerminier, *Études d'histoire.*) „Toutes les parties „de l'humanité tiennent les unes aux autres, et pas un mouvement ne peut s'opérer dans une d'elles, sans que la masse „entière ne soit ébranlée. — Lorsqu'on examine la position de l'humanité vis-à-vis de l'ensemble phénoménal dans „lequel elle existe, on arrive facilement à concevoir qu'elle „est fonction de l'univers, . . . que les très-grandes révolutions de l'humanité correspondent à de petites révolutions „du système planétaire."

„L'humanité se meut suivant une loi plus haute qu'elle, „bienfaisante, mais rigoureuse, une loi devant laquelle elle

„ n'existe que comme fonction. De ce que cette loi est immu-
„ able dans son cours et dans ses fins, il ne faut pas con-
„ clure cependant que l'humanité est poussée mécaniquement
„ dans une direction forcée, quelles que soient ses volontés;
„ qu'en un mot, elle n'est pas libre." (T. 1, chap. 4.)

„ Nous connaissons, parfaitement, deux âges (de l'huma-
„ nité), intimement liés l'un à l'autre: . . . celui qui com-
„ mence en Égypte et se termine en Judée, en Grèce, et à
„ Rome; et l'âge chrétien, dont nous commençons la sixième
„ période . . . Ainsi se sont écoulées cinq époques du chris-
„ tianisme; trois furent particulièrement ecclésiastiques, . . .
„ trois autres particulièrement civiles devaient suivre &c."
(Livre II, *Genèse.*)

Cf. Lerminier, *Études d'histoire et de philos.* Brux. 1836. T. 1.

Inter eos qui nuperrime in historiae contemplatione moralem Christianae religionis doctrinam sunt secuti, memorandi:

Fr. Ehrenfeuchter, *Entwicklungsgeschichte der Menschheit, besonders in ethischer Beziehung.* Heidelb. 1845.

P. Hofstede de Groot, *Voorlezingen over de geschiedenis der opvoeding des menschdoms door God, tot op de komst van J. C.* Groning. 1846.





